

eciam aliquod jus competens dicto domino duci et communi Veneciarum in ipsis in aliquo minuatur, sed in eis sua jura remaneant semper salva nec per aliqua in presenti capitulo contenta intelligantur commune Veneciarum seu dicti sindici ejus nomine aliquid imutasse, nec sibi quolibet derogasse, seu innovasse vel prejudicasse eciam quoquo modo aliquibus conventionibus seu pactis, que habeant, seu hactenus habuerunt cum prefato domino duce Leopoldo ante, super, de, seu pro civitate Trivisii et Cenetensi, seu territorio Trivisino et Cenetensi et similiter etiam vigore presentis capituli prefatus dominus rex non sit obligatus quoad terras et castra que de dicto territorio Trivisino tenet magnificus dominus Franciscus de Carraria dominus Padue, videlicet castra Anoalis, Castrifranchi, Asilii, bastitam Romanii, Turrem rotundam de supra Sillerim, bastitam Casalis, bastitam Castri Alverii cum territoriis, villis et jurisdictionibus spectantibus ad dicta loca. Nec etiam intelligatur dictus dominus rex Hungarie vigore dicti capituli obligatus ad restitutionem bastita de Colle et Rocha Sancti Martini de Ceneta cum villis, territoriis et jurisdictionibus earum, que per dictum dominum regem vel suas gentes tenentur. Nec etiam intelligatur vigore presentis capituli prefatus dominus rex obligatus quoad terras et castra, que dominus patriarcha seu illi de patriarchatu Aquileensi tenent, seu occupaverunt in presenti guerra. Hoc tamen salvo et sane intellecto, quod prefatus serenissimus dominus rex per se vel alium non possit nec debeat capere, occupare vel tenere aliquam ex terris, castris, vel locis, que in presenti guerra capta seu occupata sunt vel fuerunt per dictum dominum patriarcham, vel vicedominum, vel gentes de patriarchatu, que vigore seu virtute presentis pacis facte et firmate cum sindicis, actoribus et procuratoribus dicti patriarchatus debent dimitti et relinquere libera et expedita dicto communi Veneciarum, nisi prius facta restitutione dicto communi Veneciarum per dictos Aquilegenses. Ita tamen et taliter quod per dicta verba eciam post dictam restitutionem non intelligatur, quod